

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Dissertationes refutatoriae synodalis ab Heinrico Heideggero professore Tigurino adversus sacras

Reding, Augustin

Monasterii Einsidlensis, 1669

Dissertatio IV.

[urn:nbn:de:bsz:31-162659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-162659)

fuisse Divinitus illuminatam, ac exhinc ad vera fidei lumen excitatam, & conversam; innumera denique corporis & anima beneficia, & stupenda miracula obvenire, sanctissimum illud Sacellum devotè visitantibus. Quæ cum fiant independenter ab eorum meritis, vel aliquando impetratione, aut dispositione: an non liceat inferre, Christum Dominum, ejusque Matrem, meritorum suorum virtutem Divino illi Sacello taliter impressisse, ut eorum intuitu hunc sacrum locum invisentibus gratiarum ac beneficiorum effectus mirabiles efficiant? Hæc igitur sunt verba præacti Monachi, à quibus minimè absterret horror Heideggeri, minùs fideliter referentis illa verba.

DISSERTATIO IV.

*In quâ veneratione Sacellum Einsid-
lense ab ipsismet Tigurinis olian ha-
bitum fuerit.*

I. **H**Eideggerus suæ Dissert. Synodalis S.
16. ita habet: Ante Reformatio-
nis tempora religiosa hæc ad Eremita-
nam

nam Divam peregrinatio nostris etiam Majoribus haud exiguo in pretio fuit. Referunt enim Annales patrij Anno 1351. quo Tigurini propè Tettvivilam adversus Austrios memorabili clade victoriam reportârunt, instigantibus sacrificulis, solemne votum peregrinationis Eremitanæ quotannis, proximo post Pentecostes festum die, suscipiendâ publicè nuncupatum esse. Eaque peregrinatio celebrabatur tantâ frequentiâ, ut plerumque ultra 1800. homines (singulæ enim familiæ obstringebantur saltem unum domesticum missitare) iter illud religiosum inirent. Duravit solennis ea Processio ad Annum usquè 1523.

II. Miror, quòd iste Doctor aded videatur debita erga suos vel parentes, vel Majores reverentiæ obitus, ut vel istos idololatriæ, vel illos violatæ Religionis tam apertè incuset. Aut enim Religiosæ ejusmodi Peregrinationes sunt superstitiosæ, ac idololatricæ; &

B 2

tunc

tunc oportuit, omnes civitatis Tigurinae Maiores usque ad Annum 1532. ex sententiâ Heideggeri fuisse idololatrias. Vel certè, si ista idololatriæ nota ab illis Tigurinatorum Majoribus amolenda sit, erit consequens, Heideggerum, omnesque ejus sectatores fore damnandos falsæ doctrinæ, dum idololatria maculam impingunt cultoribus religiosarum, & votivarum Peregrinationum. Verùm, ut saltem ex fœdere, quo mei quoque Maiores cum civitate Tigurinae Majoribus obstricti erant, erga illos me magis pium exhibeam, valida ex sacris petita hîc inferenda duxi argumenta, quibus votivæ ejusmodi Peregrinationes probantur. Etenim *Deuteronomij* 16. legitur Deus instituisse, ut omnes filij Israel ter in anno ad Tabernaculum, vel Templum Domini peregrinarentur. Quod præceptum fuisse studiosè servatum, non tantùm ab Helcanâ, & Annâ ipsius uxore. *1. Reg. 1.* sed ab ipsomet Christo Domino, ejus-

ejusque Matre, & Sancto Josepho, habetur *Luc. 2.* Insuper gentiles venisse in Ierusalem, ut adorarent. *Ioan. 12.* Eynuchum quoque Æthiopem venisse ex longinquâ regione adorare in Ierusalem, fertur *Act. 8.*

III. Scio equidem, Heideggerum conformiter suæ Dissertationi §. 4. taliter responsurum: In veteri quidem Testamento ex Divino instituto unus locus alio sacratior fuit. Is enim, qui cœlum & terram implet, voluit per tempus se adorari eo in loco, quem elegerat, & in templo, quod voluerat esse figuram cœli, in quod summus Sacerdos noster pro nobis intrare debuit. At in novo Testamento Deus nullum ejusmodi specialis suæ in terris præsentiaæ symbolum, & figuram delegit. Christus enim in cœlum sublatus ibi thronum suum fixit, nullâ in terrâ sive typicâ, sive reali habitatione, quæ cæteris locis sanctitate præstet, relicta. Proinde non efficacior ad cultum ejus

hic locus, quàm alius. Ubique locorum ex æquo æstimatur fides, & devotio orantium. Hoc innuit disertè Salvator noster *Ioan. 14. vers 21. & 23. Venit hora, quâ neque in hoc monte, nec Hierosolymis adorabitis Patrem. Et: Veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate.* Adoratio igitur nostra fiat oportet *in Spiritu*, hoc est, cum fide ingressûs Christi in cælum, ita ut non ampliùs, sicut factum in veteri Testamento, habitet in loco aliquo terrestri, & magis quidem Hierosolymis, quàm in monte Garizim. Hæc enim Christi exaltatio in cælum est illa *Veritas*, respondens typicæ illi habitationi veteris Testamēti in Arcâ inter Cherubinos.

IV. Sed si verū est, Heideggere, quòd in novo Testamento Deus seu Christus nullum specialis suæ in terris præsentiaæ symbolū & figurā delegerit; quomodo igitur cum Evangelio seu Testamento novo stabit Ecclesia Tigurina, cujus Eucharisticum Sacramentum, uti ejusdem Ministri testantur, non in veritate, sed

tan-

tantum in symbolo & figurâ sub se continet Christum? Quomodo hoc Sacramentum ob typicam seu figuralem Christi præsentiam erit lapide sacratius, si Christus in cælum sublatus, ibi thronum suum taliter fixit, ut nulla in hisce terris, sive typica, sive realis habitatio, seu præsentia sit relicta? Verum quidem est, ubique locorum ex æquo æstimari fidem, & devotionem orantium. At Orthodoxa fidei dogma est, fidem ac devotionem stare non posse absque gratiâ Dei. Si ergo hæc gratia fidem actualem, ac devotionem conferens ex institutione Divinâ nullatenus sit pendens ex re corporali, quomodo prædictum Sacramentum Eucharisticum in Ecclesiâ Tigurinâ erit efficacius ad cultum Dei, nec non fidem ac devotionem eo utentium, quam vinum in hospitio, & panis in pistrino? An non Deus voluit adorari in Eucharistiâ, & quidem in spiritu, & veritate? At quomodo in veritate adorabit Minister Tigurinus, qui Eucharistiam credit

dit esse meram figuram Christi? Si respondeat, adorationem fieri in spiritu, quatenus fit in operatione Spiritus sancti, fieri autem in veritate, quatenus fit cum fide ingressus Christi in caelum; instare licebit, quod eo ipso fateatur, figurali & typicae Christi intra Eucharistiam, qualem Ecclesia Tigurina profitetur, praesentiae operationem Spiritus sancti, ac fidei de Christi in caelum ingressu excitationem, magis annexam esse, quam pani & vino profano. Hoc autem dato, planum erit, quod in terris rel. eta sit typica & figurativa Christi praesentia, sub qua possit adorari Christus in spiritu & veritate: itaque omnino corruet Heideggeri Achilles adversus Peregrinationes sacras reproductus. Quod si vero adoratio in spiritu & veritate, ita propria esset novi Testamenti, ut nec iste adorandi modus, nec operatio Spiritus sancti, nec fides ascensus Christi in caelum posset cohaerere cum figurativa & typica Christi seu
 Dei

Dei præsentia, foret tandē consequens
Eucharisticum Sacramentum, quale pro-
fiteretur Tigurina Ecclesia, esse ex novo
Testamento eliminandum. Vides igitur,
quàm illud Heideggeri argumen-
tum ipsiusmet Tigurinae Ecclesiae sym-
bolum, & Sacramentum præcipuum
confodiat.

V. Sed ad illius ex Tigurino Profes-
sore allegati argumenti falsitatem magis
capiendam, considerare expedit, an
nō in ipso Symbolo Apostolico sit Sym-
bolum ingressus, seu ascensus Christi in
cælum, ejusque ad Patris dexteram se-
dis, sub quo etiam symbolo liceat ado-
rare Christum in spiritu & veritate? An
non operatio Dei in terris sit quædam
Dei præsentia? Ex hoc enim, quòd in
Deo vivamus, moveamur, & simus, Aposto-
lus Act. 17. concludit, *Deum non longè esse
ab unoquoque nostrum*, esseque adeò nobis
præsentem. An non sicuti Deus suas
virtutes diversimodè operatur in homi-
nibus sanctis, sic & in diversis locis pro-

B 5 ducat

ducat effectus valde differentes? Experimur enim, Deum quoad res naturales aliter operari in Indiâ, & aliter in Germaniâ: cujus equidem diversitatis rationem & causam reducere solent plerique in diversam singulis regionibus imminentem syderum constitutionem. Sic proinde Deus in gratiæ effectibus quandam cum naturâ analogiam observans, certa sibi delegit loca, quibus per suam Providentiam affixit speciales Christi meritorum influxus, mediantebus sanctis suis, ceu supernaturalium virtutum syderibus, concedendos. In quem adeo finem sancti Patres, speciatim Hieronymus *Epist. adversus Vigilantium*, Augustinus *Tract. 48. in Ioan. & Serm. 17. de verb. Apost.* & alij passim, adeo luculenter adstruunt intercessionem Sanctorum, Deiparæ præsertim Virginis, ut ipse etiam Zwinglius *Epich. de Can. Missæ*. Beza *adversus 3. par. lib. Brent. in fine.* & Molinæus *cap. 24. de invocat. Sanctorum*. fateri cogatur, sam à veteribus Ecclesiæ

Do-

Doctoribus probatam fuisse. Et quia pro his intercessionibus implorandis citato D. Hieronymo attestante, erigebantur Sanctorum Basilicæ, ideo hæc velut loca sancta Divino cultui mancipata, affectu pijsimo, & devotione fidelissimâ adeundas, cum totâ antiquitate credit S. Augustinus lib. 73. De Ecclesiæ dogmatibus, adeo ut illum, qui contra hanc sententiam veniret, non Christianum, sed Eunomianum, & Vigilantium reputaret. Unde Peregrinationes sacras & votivas in novo etiam Testamento sub ipso Apostolorum tempore usitatas fuisse eruitur ex Act. 20. v. 17. ubi Paulus dicitur festinasse, ut diem Pentecostes faceret Ierosolymis. Ex hoc enim sacro textu sanctus Hieronymus Epist. 17. ad Marcellam, ostendit, bonum esse, ad loca sancta peregrinari. Idem probat Eusebius lib. 6. cap. 9. Chrysostomus homil. 66. Sulpitius lib. 2. Sacra histor. Paulinus Epist. 11. ad Severum. Prudentius in hymno de ss. Hemderio, & Chelidonio. Augustinus Epist.

139. Cassianus lib. 4. de instit. renunt. cap. 31.
Socrates lib. 7. cap. penult. Beda lib. 5. hist.
cap. 7. & alij Patres. Cùm igitur civitas
Tigurina, teste Heideggero, sit voto so-
lenni adstricta ad religiosam Peregrina-
tionem Eremitanam, ipsi utique dice-
re licebit, quod Divus Hieronymus in
Epist. 46. ad Rusticum, qui voverat peregrin-
nari ad loca sancta Palæstinæ, scribebat:
Redde, quod presente Domino spondisti.

VII. Sed audire licet ex Heidegge-
ro, quænam fuerint Tigurinis motiva,
abrogandæ illius votivæ Peregrinatio-
nis; sic enim habet ejus Synodalis Dissertatio
cit. S. 16. Duravit ea solennis, ad Divam
scilicet Eremitanam, Processio ad Annun-
usque 1523. cujus septimo May à S. P. Q. Tiguri-
no, admittentibus Verbi Divini Ministris, abro-
gata est, duas potissimum ob rationes, quarum
prior erat, quod ejusmodi religiose Peregrina-
tiones cum Religionis Reformata veritate sint
pugnantes: posterior, quod varijs sceleribus oc-
casionem prabuerint. Notum enim erat, quanta
flagitia inter comiteantes promiscui sexus homi-
nes

nes admissa fuerint; aded quidem, ut ex unicâ
Processione, vertente novem mensium spatio sep-
tem spurij provenerint. Perinde, ac si non tam
Divam Virginem, quàm more veterum Babyloni-
orum Milyttam Venerem imploratum ivissent.

VIII. Ex quibus sanè patet, quòd il-
la Tigurinorum ad Divam Eremitanam
suscepta votiva Peregrinatio longiori
tempore sit continuata, quàm viguerit
asserta Tigurinae Ecclesiae Reformatio.
Quòd autem cum istâ Reformatione nō
convenient ejusmodi Peregrinationes,
potissimam hujus rationem (reliquas
enim jam millies à Catholicis Doctori-
bus refutatas illi, pro majori adhuc su-
perabundantiâ, refellendas relinquo,
qui Dissertationem Synodalem Heideg-
geri ex integro examinabit) discussi
præced. dissert. n. 4. Unde sanè constat,
quòd ratio ejusmodi ipsammet quoque
Reformationem confodiat. Unum ta-
men hîc specialiter notandum venit,
quòd, ubi agebatur de abrogandâ illâ
Eremitanâ Peregrinatione, ratio talis
asser-

assertæ Reformationis præcipua fuerit de falsâ, & idololatricâ, ac superstitiosâ doctrinâ abrogandâ, & inducendâ verâ in Verbo Divino revelatâ. At ipsomet Heideggero §. 23. fatente, vera miracula servire deberent Doctrinæ cœlesti in Verbo Divino revelatæ. Et certè Tigurinos, dum illam idololatricam de Eremitanâ Peregrinatione doctrinam, ceu laciniam à Judæis, Paganis, & Mahumetanis, uti Heideggerus *in fine* §. 4. ajebat, emendicatam, sub voto etiam tenebant, oportebat, fuisse infideles, maxime cum perindè se habuerint, ac si non tam Divam Virginem, quàm more veterum Babyloniorum Mylittam Venerem imploratum ivissent. Cùm proinde ille Doctor Tigurinus ex Paulo Apostolo *1. Corinth. 14. v. 22.* asserat, miracula infidelibus esse data; an non Ministri adnices, ut illa solennis ad Eremitanam Divam Peregrinatio abrogaretur, debuissent in testimonium doctrinæ Divinitus revelatæ, edidisse miracula? At quæ

qua ista fuerunt? Heideggerus aliorum non meminit, nisi quòd ex unicâ Processione, vertente novem mensium spatio, septem spurij processerint. Sanè ex historijs patrijs constat, spiritû Zwinglianum eo tempore, quo ultima ad Sacellum Einsidlense Processio à Tigurinâ erat frequentata, jam prævaluisse in civitate Tigurinâ. Quia igitur Processiones ad Divam Eremitanam ab Anno 1351. annuatim celebratæ, nullibi reperiuntur tales turpes effectus produxisse, ut idcirco cives Tigurini eas abrogandas censerent, usque dum Tiguri prævaleret spiritus Zwinglianus; cuique facile erit dijudicare, an illi spurij fuerint fœtus religiosarû ad Divam Virginem peregrinationum, vel alterius hæc peregrinationes abrogantis spiritûs.

IX. Illud porrò Heideggeri scœmma, quòd Tigurini cives sub votivâ illâ ad Eremitanum Sacellum Peregrinatione, non tam Virginem, quàm more veterum Babyloniorum, Milyuam Venerem imploratum iyerint, vel solo

lo etiam respectu ad Helvetiæ nostræ
 primariam Civitatem Tigurinam habi-
 to, nullatenus vellem intactum relinque-
 re. Quid ergo Heideggerus intendit
 hoc scommate? An contendit Divam
 Virginem Milyttæ Veneri comparare?
 Sanè hanc blasphemiam crederem, ip-
 sos etiam Tigurinos igne vindicatu-
 ros. Vel potius Imaginem Divæ Virginis in
 Sacello Einsidleni expositam, compa-
 rare vult idolo Milyttæ Veneris? At no-
 verit Doctor ille Tigurinus, in antiquo
 etiam Testamento venerationi exposi-
 tas fuisse imagines tum Messia venturi
 in serpente *Aneo. Num. 21.* tum Angelo-
 rum in Cherubino propitiatorio. *Exod. 25.*
 & Cherubinis super Arcam existentibus,
Exod. 25. Neque dicat Heideggerus, hoc
 genus figurarum fuisse proprium veteris
 Testamenti. Ut quid enim Ecclesia Ti-
 gurina profiteatur, Sacramentum suum
 Evcharisticum consistere in solâ cor-
 poris & sanguinis Christi figurâ? An
 non Tigurini Ministri vel maxime cu-
 rant,

rant, ut panis iste typicus sumatur cum magnâ reverentiâ & venerat'one? At cuinam istum honorem exhibent? Uti- que non sistunt intra figuram, sed ex hac ajunt, se excitari, ut mentem suam in- figuratum Christum attollant, itaque pro- fitentur se typo illi solùm *instrumentali- ter & transitive*, deferre honorem. Sic er- go Deiparæ Virginis in Sacello Einsid- lensi expositam imaginem nemo eate- nus colit, ut cultus ejusmodi sistat in i- magine, sed refertur in prototypon, Beatissimam scilicet Virginem, cujus patrocinium antiquitus in verâ Dei Ec- clesiâ implorari solitum fuisse, passim constat ex sanctis Patribus, nominatim Augustino *Serm. 35. de Sanctis*. In quorum proinde doctrinam immodicè invehun- tur heterodoxi novatores, uti specia- tim videre est apud Zwinglium & Be- zam *superius citatos*, dum profitentur, se nihil morari S. Hieronymum, utpote idololatriæ defensorem in eo, quòd con- tra Vigilantium probet Sanctorum in-
VOCA-

vocationem. Ex quo sanè produnt, se
Vigilantij, Sanctorum invocationem,
Imaginumquè, ac Reliquiarum (etiam
transitivam ac respectivam) veneratio-
nem, teste suo Alstedio *cap. 30. Chron. con-*
demnantis, fautores ac sectatores.

DISSERTATIO V.

An Catholici in Sacrosancto Einsid-
lensi Sacello cum Samaritanis veteri-
bus adorent, quod nes-
ciunt?

I. **H**eideggerus *S. 17.* ait: argumenta
superius in universum religiosi-
peregrinationibus opposita, posse eadè
in specie, Eremitanæ opponi. Inter hæc
autem *cit. S. 4.* sextum ponit argumen-
tum hujus tenoris. Samaritani olim cul-
tum Hierosolymis sine mandato trans-
ferentes in montem Garizim, idolola-
triæ manifesti, reiquè fuerunt. Si igitur
idololatria quondam umbratilibus
caremonijs adhuc vigentibus, fuit ado-
rare Deum quasi cum fictione habita-
tionis